



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **R. P. Ioannis Azorii Lorcitani, Societatis Iesv Presbyteri Theologi, Institvtiones Morales**

In Qvibus Vnivers[a]e Qvaestiones ad Conscientiam recte aut prauè  
factorum pertinentes, breuiter tractantur

**Azor, Juan**

**Coloniae Agrippinae, 1616**

Ad Lectorem Illefonvs Ciaconvs.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14007**



# AD LECTOREM ILLEFONSVS CIACONVS.



**P**TANDVM sane omnibus fuisse, vt qui huius operis auctor extitit, idem instituti, quod in eo tenendum erat, monstrator extitisset. Erat iam alter hic Moralium Institutionum Tomus ad finem prope perductus, vt paucorum dierum labore lucis aspectum spectare posset. At intempestiua Auctoris mors disulit in tertium iam annum, qua scriptus in vnum redigendus, qua cognoscendus, quasi quid desideratum ex ipsius pralectione supplendus. Iam ne sine aliqua prauiua, ac rudi monitione ad huius operis lectionem accederes, à me, cui ab Auctore, dum viueret, huius operis euulgandi cura demandata est, horum breuiter eras admonendus.

Primum quidem ea mens Auctoris fuit, vt omnia, quae ad recte, aut prae factorum scientiam pertinent, quaeque siue apud Theologos, siue apud Interpretes Iuris Vtriusque, siue apud alios Doctores, quos Summistas vocant, aut fusius, aut breuius, quam par esset, continerentur, ipse vno quasi stylo dilucide, distincte, & ordine praclaro explicaret. Vniuersam autem hanc rerum syluam ad quatuor praecipua capita reuocarat, vt constat ex primi Tomi initio, ad decem nimirum Decalogi praecepta, ad septem Ecclesiae Sacramenta, ad censuras, poenitentias, culpas, remissionemque poenarum, ad hominum denique varios status, sinemque, tum bonorum, tum malorum. Haec porro erant distinguenda in libros, in capita, ac varias quaestiones, quorum omnium ordinem in omnibus tomis obseruatum, constanter fuisse reperies.

Secundum. Ex his quatuor capitibus primum tantum illud de decem praeceptis confecit, neque id omni ex parte penitus absoluit. Et sane primo Tomo post septem priores libros, in quibus rerum moralium principia, & quasi prima elementa comprehendit, duo tantum priora praecepta complexus est. Primum videlicet Octauo, Nono, & Decimo libris, vbi de Fide, Spe & Charitate, ac Religione in Deum, & vitijs oppositis accurate disseruit. Alterum reliquis tribus ad finem vsque operis explicans omnia, quae ad iusturandum & vota pertinebant. Votorum autem octauius duos extremos libros de Religiosorum votis, atque institutis adiunxit.

Tertium. In hoc secundo Tomo edisserit Auctor de tertio & quarto praeceptis. De tertio quidem primo tantum libro, de quarto vndecim sequentibus. Quia enim nomine parentum, quos in eo honorare iubemur, tria parentum genera possunt intelligi, naturales, spirituales, & temporales, de singulis ordine agendi commodam occasionem cepit. Ac de his, qui naturali quadam potestate ceteris praesunt, agit secundo libro, comprehendens tum potestatem parentum in filios, tum dominorum in seruos: vtrique enim naturali quadam potestate suis imperant.

De his vero, qui spirituali quadam potestate dominantur in suos, incipit agere à tertio vsque ad decimum librum, reuocans ad illos amplam de beneficijs & pensionibus Ecclesiasticis disputationem, atque adeo de singulis Beneficiarijs diserte disputat, praecipue vero de Episcopis, Cardinalibus, Romano Pontifice: quo factum est, vt in septem sequentes libros haec vna disquisitio excreuerit. A libro decimo incipit agere de his, qui temporaliter praesunt, cuiusmodi sunt Imperatores, ac Reges, quorum vim ac potestatem duobus libris absoluit. In extremo agit de charitate in proximum, tum communiter, tum separatiim de inimicorum dilectione, vbi etiam multa habet de ordine charitatis, & beneficentia tum spirituali, tum corporali.

Quartum. Secundus hic Tomus ab ipsomet Auctore ita typis mandatus, vt confectus, diuisusque fuerit in libros duodecim eodem ordine, in sine libri duodecimi, vbi sermo instituitur de correctione fraterna, quadam adiecta sunt ad explendam materiam. Ea vero excepta sunt ex praelectionibus publice ab eodem Patre traditis, dum in Hispania doceret: idque factum est, ne imperfecta eiusmodi disquisitio prodiret in lucem. Ea autem, quae Auctor morte praeventus perficere non potuit, eodem plane ordine, ac ratione per capita scilicet, & quaestiones adiungenda curauimus.

Quintum. Supererat Auctoris cognitio, & commendatio: verum haec superuacanea cuiquam merito videri potest, aut quod ex priore Tomo iam satis cuique notus est, aut quod non in angulo quopiam terrarum (dum viueret) obscurus delituit, sed in luce omnium atque in theatro nobilissimarum Academicarum, Complutensis nimirum, & Romana versatus, vbi Theologiam speculatricem eam, quae pertinet ad mores & sacrarum litterarum interpretationem, ita professus est, vt nemo eius in discipulando acumen, in astrusis & ambiguo facilitate, in euoluendis Sanctorum Patrum scriptis diligentiam, in aperiendis controuersis solertiam, rebus in omnibus summum iudicium non sit admiratus. Aut demum quia nemo non agnoscat ex ipsius scriptis in omni disciplinarum genere eruditionem minime vulgarem. Nam praeter

Iuris, & Ciuilib, & Canonici scientiam, præter Theologicas subtilitates, ac præcepta moralia, quorum cognitio maxime necessaria erat ad Christiani officij partes explicandas, miram habuit in omni historiarum genere notitiam, quibus in memoriam redigendis, collocandisque, ac certa quadam sede distribuendis, subtili vsus est artificio, vt ad arbitrium eo ordine cuncta narraret, vt ne latum quidem vnguem à certis, ratisq, temporibus aberraret. Itaque tot annorum disita inter se internalla, tot seculorum remotissimam memoriam ita in animo suo contraxerat, vt regnorum vicissitudines, Pontificum res gestas, Regum & Imperatorum dominia, tanquam de scripto, non sine omnium admiratione commemoraret. His adiunxit veluti ornamenta primarias linguas tres: Latinam, in qua excolenda non parum operæ, atque industrie posuit: cuius rei vel hoc ipsum opus erit iudicium, quippe cum ea, quæ vix à quibusdam huius lingue minus peritis propter ingentem rerum difficultatem rudi oratione explicantur, ita hic perspicuè, Latineq, tradantur, vt ob oculos poni, atque in animos legentium influere videantur. Hebraicam, quam etiam publice in Complutensi Academia docuit: Græcam denique, cuius etiam præsidio vt illarum prudenter admodum in sacris libris publice, tum Noui Testamenti, tum Veteris interpretandis vtebatur. Quæ omnia vt eum effecerunt omni doctrinarum genere perfectum, ita omni laude cumulatissimum reddiderunt. Illa vero sine tanti viri iniuria reticere minime possunt, quæ & de eo præcipua quadam ratione prædicantur, fueruntq, ad viri commendationem testimonia locupletissima. Huiusmodi fuerunt in tanta rerum cognitione tanta animi demissio: in tantis, quæ apud suos haberi solent honorum insignibus tanta modestia atque animi moderatio, in tanta vitæ integritate & seueriore disciplina tanta morum facilitas & assabilitas, in tanta humanarum rerum (quod raro vsu venit) cognitione tanta simplicitas, tantus animi candor, tanta in rebus agendis ingenuitas, vt idem esset semper oris, frontis, oculorum, atque animi sensus, in tot grauissimarum rerum occupationibus, & assidua mentis in rebus peruestigandis agitatione tam piæ erga diuinum numen studium, tam iucunda animi tranquillitas, tam frequens cum Deo consuetudo. Hinc tanta in minimis etiam culpis religio, vt nullum tam leue delictum, vel nullum tam exiguum esset, quod non tanquam animi pestem summa cura declinaret. Hinc etiam illa mentis in Deum intentio, quæ ad diuinorum beneficiorum, quæ identidem animo reputabat, recordationem, ad lachrymas vsque perfundebatur. Ad extremum illud iure addiderim, eo in explicandis, enucleandisq, sacris voluminibus fuisse animi sensu, vt ad eorum sententiam accedendum semper esse iudicaret, qui de diuinis rebus aptissime, & ad veritatem accommodatissime, Sanctorumq, Patrum normam exactissime omnino sentirent, atq, adeo vt ab his abhorreret, qui suo arbitratu ad remotam quandam, ac peregrinam sententiam, notationemve sacra verba detorqueret. Pauca hæc de multis, benigne Lector, accipe, quæ hic Auctor tum ad exemplum, tum ad imitationem nobis reliquit, quæ tibi significanda penitus iudicauis, vt cum horum librorum instituti ratione, Auctoris integritatem ac pietatem, quæ in omni genere plus momenti obrinet, aliqua ex parte cognosceres. Vtere igitur tanti viri scriptis, quæ iam præ manibus habes, dum cetera quæ iam sub prelo propemodum sunt, excuduntur: habes enim vbi & ingenium ad rerum cognitionem excolas, & animum ad pietatis incrementa promoueas.

